

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

II.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

II.

Salutem ex Christo, DEI & Mariae filio, unico nostro solatio, tibi dico plurimam, Vir, venerande.

CUM quadriennio in Galliis studiorum causa fuisset versatus, & anno quinquagesimo octavo Augustam Vindelicorum reversurus essem, Argentoratum adii, tui videndi, & pro beneficiis, quibus à te Jenæ puer jam olim affectus eram, gratitudinis meæ ostendendæ causa. Sed peregre tunc eras profectus. Quatriduo igitur toto redeuntem præstolatus sum, sed præter opinionem frustra, quo nihil eo tempore mihi poterat accidere incommodius, vel etiam acerbius. Causas propter multas & quidem vel eam maxime, quod cum antea officio atque pietate erga te nunquam mihi satisfacissem, ne tunc quidem liceret, in Italiam sum profectus, paulo post, ubi in quartum usque annum substiti, curriculum studiorum meorum confeci. In patriam reversus scholæ statum turbulentissimum & nullis non dissidiis plenum reperi. De primatu enim sive Papatu inter sese digladiabantur ingenia duo, alterum superbum, alterum contentiosum, Victorinus Strigelius videlicet & Flacius. Quam ob intempestatem & calamitosam lacerationem scholæ cum jam toto biennio spectator fuisset privatus, neque contentionum ullum poteram prospicere finem, aut modum saltem, subducere me malui, quam illis intricari. Concessi itaque in aulam Gunteri, Comitis à Suartzburg, à consiliis operam meam qualemcunque triennio præstans. Oritur interea ob proscriptos Imperii hostes, Grumbachium & socios, bellum Thuringiæ funestissimum, quo utcunque composito, amor patriæ, & quod sperabam, aliquid opis disjectæ scholæ Jenensi afferri posse, operam meam Joanni Gulielmo, Duci Saxonie, piæ memoriæ locavi. Professore juris ibi cum per annum egissem & cum aliis sedatioribus ingeniis scholæ intermortuæ quasi novam & teneram vitam subdidissem, nova quoque suboritur calamitas. (Ita ut recte de hac schola atque me ipso dixerim, quod Megara apud Senecam exclamat: Sibi nullam unquam lucem securam fulsisse, finem alterius mali gradum fuisse futuri.) Vitebergenses enim Theologi & Professores illi, quorum quidam postea exilio mulctati, quidam carceribus mancipati, penas perfidiæ scelerumque dederunt, de suo, jamque inveterato in nos odio nihil remittentes, quam possunt maxime, Electorem, Saxonie Ducem, in nos extimulant incenduntque. Quare Colloquium Aldenbursense institutum, sed perfectum non est. Quo enim inchoata inter principes dissidia compendiosius alerentur & religionis negotium, quod ipsis nunquam curæ fuit, ut exitus testatur, magis intricaretur, id malitiose abruperunt. Ego Erfurdiam, ubi Electorum & Principum quorundam non solum, sed & ipsius Imperatoris Legati, vel Commis-

sarii,

farii, ut vocant, ad faciendam divisionem ducatus convenerant, jussu mei Principis concedere coactus fui, ibique delitui per annum integrum & menses quinque, onus sane grave sustinens, periculaque multa subiens odiaque. Confesto negotio, domum mihi reverso scholæ Rectoratus committitur, in quo quanta moles laborum, molestiarum, odiorum, periculorumque, quasi uno impetu in me confluerint, irruperintque, dum cogito, cohorresco. Moritur enim meus Princeps, Elector occupat pupillorum fiduciarum tutelam, invidi & vindictæ cupidi consilarii quidam occasionem ulciscendi & animum conceptæ hostilis libidinis explendæ nacti, ignem & fulmina spirant. Juventus omnibus disciplinæ quasi repagulis fractis, ad nullam non lasciviam & petulantiam, quasi torrens impetuofus, prorumpit. Mihi pro opera, quam meo Principi fideliter præstiteram, pro multis vigiliis, quas reipublicæ causa usque etiam ad labefactionem valetudinis meæ sustinueram, hæc refertur gratia, quod cum aliis quibusdam bonis viris justa sede patriæque exturbor. Præclarus sane lusus fortunæ, quibus ea exercere solet, quos sibi exagitandos semel proposuit.

His ex procellis in aulam ad officium Procancellariatus vocor à Duce Brunsvicensi, Julio. Ubi aliquantulum licuit respirare. Author ipsi fui, quod scholam Helmstadii aperuit; Vestrum Erytreum magno sane stipendio ad professionem Oratoriæ conduxit; quingenti enim Thaleri annui ei fuerunt promissi, cum penu locuplete, & donaticii nomine millia duo.

Hic filium tuum, Theologiæ Doctorem, de meliori nota, quod ajunt, mihi commendarat, ego ipsi Principi eundem; tantumque effeceram, quod jam expiscandæ ejus voluntatis tuæque ipsi Eritræo provincia committebatur. Sed ò fortuna invida, moritur Eritreus. Ego ab Imperatore Maximiliano in aulam Viennensem ad consilia conductus, dimissionem à Julio, quamvis ægre, impetro, discedo, & dum me itineri accingo, Imperator Spiræ è vivis discedit, quo factum, quod neque tuo filio, ut inceperam, prodesse potui, neque non ipse laborare cœpi. Toto enim anno Brunsvici mihi delitescendum privato fuit. Tandem ab Electore Palatino ad stipendia vocor. Sed quia videbar mihi quasi ex alia quadam specula mirabiles prævidere mutationes, cum in republica, tum in Ecclesia, multa secum tracturas pericula, Thuringicæ Scyllæ motus expertus à Palatina Charybdi abstinendum putavi.

Nunc hic ad mare Balticum in Holsatia, atque Ducatu Slesvicensi Procancellarium ago, nactus Principem & bonum & pium, qui me singulari complectitur gratia. Nactus quoque tranquillam vitæ conditionem. Pro quo DEO patri, ejusque filio, Spirituique Sancto, ago gratias, quas mens mea potest capere, maximas. Eumque trinum & unum oro, ut faciat me vas misericordiæ & organum salutare cum reipublicæ tum Ecclesiæ, quo à me ipsi ali-

Hh h h

qua

qua fiant posthac grata. Sed quorsum, inquires, omnia tam prolixè? Huc videlicet, ut cum mihi ipsi, colloquendo per literas tecum, coram non liceat fatisciam, tum vero ut intelligas, in quem olim puerum officia tua contuleris, eum esse gratum, mentemque atque memoriam servare gratam, senem. Annum enim nunc ago quinquagesimum tertium. Quod restat, Vir nobilitate, prudentia & virtute heroica, præstans, Oventus Ranzavius, Capitaneus Götterpensis, Collega meus, filium suum Melchiorem, abineunte ætate bonis literis imbui & disciplina laudabili informari curavit. Eum ad vos meo consilio studiorum causa mittit. Putat enim, tunc demum vere nobilitatem perfectam esse, cum conjunctam habet & eruditionem & animi morumque moderationem. Eum ego tibi commendo, quanto possum studio, oroque, ut si qua in re tuo opus habeat consilio, atque auxilio, (habebit autem quam maxime) ejus rationem habeas. Et cum pater valde solícite timeat, ne pravo consortio, communi juvenutis peste forte corrumpatur, ipsi apud doctum & honestum aliquem virum, cum de hospitio, tum de mensa prospicias. Faciet puer, ne te officiorum in se collatorum pœniteat. Faciet & pater, ut intelligas, hic quoque ad mare Balticum, in Cimbrica Chersoneso, homines esse beneficiorum memores atque gratos. Ego sane quod tibi de me amplius promittam, non habeo, debitor enim alias sum ad animam usque tuus. Filium autem DEI, Dominum nostrum, Jesum Christum, redemptorem nostrum, vero gemitu oro, ut cum in hoc mundo nos amplius coram non concernamus, in illa altera vita perenni vero gaudio confrui nobis concedat. Felicitissime interea vale. Slesvici, in die Concordiæ, Anno 1580.

Observantia tue deditissimus

Josias Marcus, D. & Holsatiæ
Procancellarius.

Inscriptio.

*Venerabili, summa eruditione, pietate & vita sanctimonia præstanti
Viro, Domino Joanni Marbachio, Theologia Doctore & Ecclesie Argentoratensis antistiti dignissimo, Domino suo & amico observandissimo.*



III.

S. D. Reverende & clarissime Domine Doctor.

Gratulor & tibi & patriæ communi de reditu in Academiam Heidelbergensem tuo. Quam ut παιδευθέν της θεωρητικής, καὶ ψυχῆ διδασκαλίῃς ἀρισταῖς, florens & diu-